scorpionibus per circuitum, et ad remotionem ligni cucurrerunt, et multi et major pars in aquam baptismi ceciderunt, aliqui in terram labebantur, aliqui ligno, aliqui lapidi adhaeserunt, quos ut vidi, expavi et operculum cadere permisi et aufugi, cavens, ne aliquis scorpio mihi adhaereret. Modica autem aqua erat in concha et crassa, viridis, et in his omnibus suspicabar, diu nullum ibi baptizatum fuisse. Porro scorpiones per circuitum baptisterii currebant, quaerentes reascendere ad locum suum, et in latibula murorum se recipiebant; sunt enim scorpiones in illis partibus in magna multitudine sub lapidibus, in silvis, in muris, sub lignis et lectis crescentes et morantes, et generantur ex aliquibus putrefactionibus, sicut alii vermes, praesertim ex putrefactione cancri statim generantur, unde etiam quasi cancro assimilantur, unde Ovidius:

Concava littorei si demas brachia cancri
Scorpius exibit.

Est autem scorpius vermis niger, multorum pedum, et habet loco manuum duo bifurcata magna sicut cancri, et cornua gracilia sicut cancer, et habet caudam longam, non cancri, sed serpentis, et in ejus fine duos habet aculeos, quibus arcuato vulnere ferit. Dicitur autem scorpio a scorte, quod est: dulce et picis (?) fingere; quia in anteriori parte blanditias fingit et in posteriori interficit. Scorpionis punctura facit homini multa mala, quia videtur locus puncturae, statim apostematur apostemate duro et rubro, et dolor protensus quandoque inflammatur (**206 a**), quandoque infrigitatur, et imaginatur percussus, se contundi pilis, quibus sal contunditur, et accedunt dolores subito, et punctura est sicut punctura acus, et sequitur tremor et frigus, et mollificatio totius corporis et inflammatio ventris et extensio virgae. Si autem sit punctura ex vehementi scorpionis malitia, tunc punctura est quasi cauterium adustum, et corpus totum rigorem patitur cum frigore, et fluit ad labia humiditas viscosa, quae inter ipsa labia congelatur, et currit ex oculis multa humiditas, quae in angulis congelatur, et alteratur forma et egreditur anus et apostematizatur virga et incrassatur lingua et stridunt dentes et clauduntur compressae nec aperiuntur. Hac mala bestia caret Alemannia nobilis et sana recenti aëre dotata. Haec bestia occidit Orionem, quem nulla bestia vincere potuit. De hoc Ovidius talem recitat fabulam.

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;